



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Admodvm Reverendo In Christo Patri, Ac Domino, D. Philippo Caverel,
Celeberrimi Vedastini Monasterii Apvd Atrebates Archimandritæ Longe
Dignissimo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)



ADMODVM
REVERENDO IN CHRISTO
PATRI, AC DOMINO,
D. PHILIPPO
CAVEREL;
CELEBERRIMI VEDASTINI
MONASTERII APVD ATREBATES
ARCHIMANDRITÆ
LONGE DIGNISSIMO.

IMMENSAM Theologicarum rerum vastitatem, REVERENDE ADMODVM DOMINE, artificiosâ Doctōris Angelici Summâ mirificè comprehensam (quod magni viri operosè perfecerunt) meis quoque commentariolis strictim persequi pridem non-nemine hortatore & susceperam, & iam rei tantæ absolvendæ ideam, figuramque omnem animo meo descripseram. Sed quoniam totam molem vno quasi partu effundere non possum, eniti aggressus, malui à pedibus (fas sit ita loqui) quàm à capite exordiri: quòd ultimam S. Thomæ partem ad fidem Scruatoris altius astruendam, religionesque rite procurandas maius quoddam momentum adferre existimavi.

Igitur Incarnati Verbi admirabilem, vt SS. Patres appellant, *δυσκολίαν*, saluberrimamque nostrorum *μυστηρίων*, vt iidem loquuntur, id est Sacramentorum Officinam aperire, postque aliquot annorum laboriosam elucubrationem (quod diuinæ gloriæ vertat) in lucem atque publicum exponere paro. Neque deterrent illi qui in huius generis scriptione, & tempore, & eruditionis famâ longis me interuallis præcessere. Cum enim suus cuique scriptori sit genius, neque vnum aut idem semper, ne eiusdem quidem lectoris, palatum: *Vtile est*, quod totidem ferè verbis Augustinus præclarissimum Ecclesiæ lumen scripsit, *libros plures à pluribus fieri diuerso stylo, non diuersâ fide, etiam de Questionibus iisdem: vt ad plurimos res ipsa perueniat, diuersâ licet viâ. Quam*

EPISTOLA DEDICATORIA.

quam nisi fallor, non pauca huc contuli, quæ multum ac diu, discendo, docendo, partim ex Scripturâ, & Patribus, partim ex usu quodam, studioque meo per otium litterarium collegeram: quâ in re quid, quantumque fuerim affectus, sapientes Aristarchi, & probi Catones æstiment.

Porro autem primigenius hic studiorum meorum fœtus, vixdum è progenitoris sui manu excussus, ultro in sinum tuum, SAPIENTISSIME PRÆSVL, abire gessit, neque furtim, neque subtimide adrepit: sed palam, & audacter prouolat, sui à te adoptandi incensus desiderio. Nimirum optat vehementer apud te periclitantium asylum, atque arcem, sibi locum esse aliquem, expectatque præterea à tui nominis clarissimo splendore benignum lumen, quo honestatus in publicum compareat. Atque hæc profectò primæ mentis curæ, & veluti experimenta artis vni tibi debebantur, plures grauesque ob causas. Nam imprimis si Patroni sapientiæ maximarumque virtutum ornamentis illustres scriptoribus conquirendi sunt, vnde potius accerserem quàm ex CASTRO NOBILIACO, loco illo perillustri, intra cuius aream Angelus ipse idem Geometra, idem Architectus Vedastinæ familiæ sedem, ædem, inquam, Religionis, & Sapientiæ designauit, duxit, construxit? aut si in eo loco mihi præsertim ob Patriæ amorem charissimo aliquis erat huiusce partus parens alter adsciscendus, quis eius familiæ accidere potuit optatior eo qui in isto Pietatis & Eruditionis templo ita diuinis facibus resplendet, vt suâ luce non modò Belgicam nostram, sed Christianum iam orbem propè impleret vniuersum? Nam quis recessus CAVERELIVM nomen publicante famâ non audijt? Et si modestiæ tuæ parum placitum noui, si tuas hîc ego laudes explicem, pauca tamen dicam modeste officij, non assentationis, causâ.

Atque etsi nihil dicam, afflicti tot homines, quos ex bonorum naufragio nudos recollegisti; tot miseri adolescentes, quos cum ad inopiæ scopulos adherescerent, vt in studiorum cursu prouerentur tuâ manu extraxisti; Religiosæ illæ familiæ, quas in publicis, priuatisque rerum angustiis recreasti, tua facta in cælum efferent. Quod si homines taceant, excitata à te, restaurata, exornata virorum, fœminarumque tot Monasteria ita passim tuam pietatem, munificentiamque celebrant, vt nullus propè sit in nostrate solo angulus, in quo lapides, muri, tecta, VEDASTINVM PRÆSVLEM non loquantur. Illa litterarum, Religionisque domicilia, alterum Atrebatense Societatis IESV à fundamentis munificè, magnificeque à te constructum, instructum, dotatum. Alterum celeberrimæ etiam famæ Duacenum illud, duo Vedastinæ laudis perennatura monumenta, in quam non Europæ partem tuum nomen deportarunt? Iam verò illi ipsi qui disciplinæ Religiosæ, reliquarumque tuarum virtutum viuas imagines in suis primùm animis tuo ductu impressas, è VEDASTINO PALLADIO euocati ad principes præfecturas, eductique in alienas familias intulerunt, etsi necum ipsi sileant, quàm longè, latèque eo ipso facto præconium tuum prædicabunt?

Fortes creantur fortibus, & bonis

Est in iuuenis, est in equis patrum

Virtus, nec imbellem feroces

Progenerant aquile columbam.

Atqui facile quatuor, aut quinque nuper superstites numerabamus ex eo numero qui sub tuis auspicijs Christo militantes, vocati ad imperia, sapienter, laudabiliterque gubernarunt. Permite, quæso, etiam istud à me verbulo perstringi, quod prolixè, magnificeque deprædicari poterat. Quoties non modò

in præ-

EPISTOLA DEDICATORIA.

in præstantium virorum Benedictini Ordinis sacro confesso, non tantum in nobili Arthesianorum Comitiorum Arcopago, verum in Serenissimorum Principum Aulâ, auribus, ore optata, excepta, commendata Sapientiæ tuæ scita, tam insigni approbatione omnium, ut non Vedastinæ familiæ, sed Patriæ, sed Ecclesiæ Pater Patratus nominareris, proclamarerisque, neque tam multum abfuit, quin ad summas Belgij dignitates euectus, è Vedasti septo abripere, nisi quibus in claustris longam ætatem exegeras, mori potius, quam in palatijs viuere, mordicusque tuam senex, uti suam olim Thomas Aquinas adolescens, Religiosam vestem vsque ad mortem retinere, quam in vitâ perdere maluisses. Ac ne istud quidem ad rem meam parum facit, quod ita Sapientiam fers in oculis, ita Sapientiæ studiosos amas, colis, diuiniusque hisce nostris disciplinis præsertim animum oblectes tuum, ut secundum Virtutem Eruditioni præcipuum locum apud te esse volueris. Testabitur id apud posteros, ut cætera argumenta omittam, Bibliotheca illa tua locuples, quam Philadelphis æmulam confecisti.

Vident iam omnes, opinor, quàm multis, grauibûsque de causis ambitiosus ingenij mei fœtus, non tam suæ, quàm diuinæ gloriæ candidatus, statim à cunis ad tua genua prouolet, seseque prouoluit venerabundus, supplex orans, ut se à me dimissum adoptare velis. Duo præcipuè faciunt præter superiora, ut quod optat à tua humanitate speret: primum enim probè nouit te audire & esse hominum nostri Ordinis affectu, & beneuolentiâ Parentem: deinde ne id quidem ignorat, quod me priuatim (non credo ob aliquam mei causam, sed ex peculiari quadam tuæ voluntatis inductione) me, inquam, reculasque meas humaniter complectaris.

Admitte ergo pro eâ quæ te summis, imis, charum efficit, morum tuorum suauitate, pertenuem hanc vel amoris mei, vel potius obseruantia tesseram, & ut facis, Societatem nostram ama, tuere, foue.

Finiam hæc, si modò pro solempni Dedicationis more, breuem piæ precationis formulam adiecero.

Viue, & Vale octo & viginti annorum insulâ VENERANDE PRÆSVL, neque morere nisi ut dierum, ita meritum plenus: postquam verò in senectute bonâ hæc apud nos esse desieris, inter beatas mentes cælo inferere: immò hæc superstes etiam mortuus vige in animis, & ore hominum, vnus perenne lucentium Ignium inter Vedastina Sidera, Dodilones, Ansbertos, Gerardos, Transmaros, Ragembaldos, Fabros, Assetos, Sarracenos, imò relatas in Diuorum fastos stellas illas maiores, Hadulphos, Vigores, Fulcones, Raddones, Poppones, aliosque eiusdem notæ ac Sanctitatis illustres viros, de quorum præclaris in Patriam, Religionemque facinoribus, nullus locus, nullus sermo, nulla ætas conticescet.

Hoc commune est votum Omnium, qui Te nobis sum norunt, & amant. Iterum ANTISTES OPTIME VIVE, & VALE.

Montibus Hannoniæ.

Ipsis Apostolorum Simonis, & Iudæ ferijs M. DC. XXVII.

*Reuerenda Admodum Paternitatis tuæ
Humillimus in Christo seruus*

IOANNES PRÆPOSITVS.

FACVL